

Iii, tum generationem, tum Spiritus SS. processionem, non rarò, in
 activam atqve passivam dispesci: Illa ipsa tamen, vel actio vel passio,
 non secundum rem subsumi debet, seu physicè; sed secundum no-
 strum saltem concipiendi modum, seu grammaticè. Generari enim,
 non sensu, sed verbo saltem passivo, enuntiatur de Filio, tanquam
 principii producentis termino: sicuti *Magnif. Kromeyer. in Theol. Posit.
 Pol. Part. I. Artic. II. Θεσ. 14.* nec non *Clariff. Stratmann. Quæst. Aca-
 dem, Part. I. Cap. VI. quæst. 14.* observant accuratissime. Cum enim,
 sine omni profus naturæ alteratione, & subalternatione, sine omni
 dependentia, processio subsistat divina; non poterit, in simplicissima
 Trinitatis unitate, absqve luculenta mutationis absurditate, agens
 realiter, & patiens admitti. Quocircò, ad hæc coram respicien-
 tes, Græcæ Ecclesiæ Patres, διὰ τὸ ἀπαθεῖς τῆς γεννήσεως Λόγον
 salutare maluerunt Filium; referente illud ex *Fulgentio*, Reveren-
 do maximè *Gerhardo*, in *Disput. super dict. Job. I §. 7.* Sicuti, nec
 aliam verè mentem, divinæ ille originis Encomiastes habuit, quàm,
 ut pneumatico illo Λόγος termino, cum ineffabilem, tum impatibi-
 lem & intelligibilem emanationem declararet.

§. XXIII.

Cæterùm, dum per hanc Λόγος emanationem singularissi-
 mam, divina minimè patibilis exponitur processio; neutiqvam
 eo ipso, Filii vel æquivoca vel metaphorica asseritur generatio;
 sed id, intenditur solummodò; ut in transcendenti divinæ processio-
 nis mysterio, à generatione omni materiali & mutabili, sensus &
 sermo avertatur carnalis. Humana enim non rarò ratio, divinæ ge-
 nerationis opponitur mysterio: prout hoc ipsum copiose non mi-
 nus quam nervosè *Excellent. deducit Meisnerus in politiff. Λογολογίας
 Tractatu*, nec non *Maxim. Reverend. Chemnitius, in Harmon. Evangel.
 ad Cap. I. Johann.* Potest verò Filius, esse & dici χαρακτήρ τῆς Ἰ-
 πατρὸς ὑποστάσεως, ut nihil Λόγος vel denominatio, vel emana-
 tio obstet. Eadem enim secunda persona, ut *Magnif. Kromeyer.
 Part. I. Theol. Posit. Pol. Art. II. Θεσ. 14,* definit, quatenus tanquam
 Paternæ mentis procedit conceptus, vocatur Λόγος: ut vero ex
 suæ processionis virtute, in similitudinem procedit naturæ, *Filius*
 insignitur univocus, ac unigenitus. Quam verè autem & pro-
 priè, est Patris Filius, tam verè etiam, & propriè, à Patre æterno est
 genitus.